



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 61. Magistratum conatus in reprimendis Calvinistarum crudelitibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

poemata sub titulo: *Juvenilia*, inscrip-
sit, atque ejusdem Magistri sui lectio-
nibus seductus adulterinæ reformato-
rum sectæ nomen dedit. Postea Wol-
marus ab Ulrico Wirtembergensi Duce
in Germaniam accersitur, ac Tubingæ
jurisprudentiam tradere jussus diu Pro-
fessoris munereungebatur, Græcos-
que Auctores explicabat, hujus idio-
matis adeo gnarus, ut quondam Wir-
tembergensi Duci fateretur, quod ma-
jori cum facilitate in Græco, quam lin-
gua Teuthonica, causam dicere vellet:
præterea idem a Margarita Navarrae
Regina pingui pensione honorabatur,
cum vero jam senio pressus esset, abdi-
catis omnibus officiis Isenacum seces-
sit, ubi etiam rebus humanis valedi-
xit.

§. LXI.

*Magistratum conatus in reprimendis
Calvinistarum crudelitibus.*

Thuan. l. 28. *Davilla de*
bell. civil. l. 2. *Beza hist.*
Eccles. l. 4.
p. 665. **C**um Protestantes ex Possiacensis col-
loquii successu petulantiores effice-
rentur, palam spargere non erubescer-
bant, eorum doctrinam ibidem fuisse
approbatam, ac Catholicos ignominiose
devictos recessisse: postea hoc menda-
cio freti majori adhuc arrogantia quam
antea, ad populum dicere cæperunt, plu-
resque Ecclesias sibi violenter vendica-
runt:

runt: brevi tamen publica Magistra-
 tuum auctoritate hæreticorum audacia
 infrangebatur, ac præprimis omnibus
 privatis inhibita, ut non sclopeta se-
 cum portarent, illi vero, qui ejusmodi
 armis essent instructi, eadem ad urbis
 Prætorium deferrent: insuper alio edi-
 cto die secunda Novembris sancitum,
 ut Protestantes templa hucusque occu-
 pata restituerent, indicta tam severa
 pæna, ut huic legi morem gerere co-
 gerentur: Verum pro tam inveterato
 malo nimis infirma erant hæc remedia,
 quocirca Regis jussu ex cunctis regni Cu-
 riis Præsides, ac Senatores seligeban-
 tur, qui ad oppidum S. Germani in La-
 ja convenirent, malisque universum re-
 gnum inundantibus opportuna remedia
 opponerent, atque ex eorum sententiâ
 de reddenda pace, ac tranquillitate per
 edictum publicum decerneretur: enim-
 vero hoc consilium sat proficuum esse
 potuisset, ejusque executio in Regni u-
 tilitatem cedere sperabatur: verum pro-
 sper illius successus plurimorum Pro-
 cerum discessu præpediebatur, quippe
 Guisus Dux comperto vix hoc propo-
 sito quantocius ab aula unacum Car-
 dinale Fratre suo discessit, & quidem
 Dux Jonvillam, Cardinalis vero Rhe-
 mos contendit, inde mox ambo in
 Germaniam profecturi; jamjam enim
 Mont-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1561.

Sæc. XVI. Montmorentium Connestabilem ad sua
A.C. 1561. pertraxerant studia.

§. LXII.

*Seditio Parisina in Sancti Marcelliani
 suburbio inchoata.*

Thuan. l. c.
La Popelin.
l. c.
Beza hist.
Eccl.
Mezeray. to
2. p. 833.

Interea Calvinistæ indies majores concitabant tumultus, ac præprimis sectam suam propugnaturi innumeros ferme libellos famosos in vulgus spangebant, eisque Catholicos ipsis oblitentes proscindebant, insuper in tot locis, tantoque furore sermones habebant, ut plurimas in Regno Ecclesias erigerent: Postmodum aucta temeritate publice in jejunio verno carnibus vescuntur, Catholicorum templa vi occupant, ibidemque suos cætus agunt, Ecclesias, quæ ipsis usui esse haud poterant, penitus eyertunt, Altaria destruunt, Sanctorum statuas, atque imagines diffringunt: nec hisce insolentiis contenti Gallico etiam carmine divulgant, quod tres præcipui Doctores in Possiacensi colloquio disputantes ad novam sectam defecissent: præterea per anagramma ex Regis Caroli IX. nomine, quod ipse idolum, seu juxta illos Papatum destruturus sit, conjectabant, suarumque Ecclesiarum statum Reginæ Administratrici exhibebant, professi, quod suæ factionis socios plusquam duo millia & centum quin-